

RICHMOND-SHIRE.



Hujus agri pars reliqua, quæ So-
stitiale Occasum spectat, & late
patet, *Richmond-shire*, sive
Richmount-shire vocatur, nomi-
ne facto à castro quod Alanus
Britanniæ Armoricæ Comes ex-
struxerat, cui Guilielmus Normannus victor,
hunc agrum qui prius Edwini Angli erat, hoc
brevi diplomate donavit, Ego Guilielmus cognomine
Bastardus, Rex Angliæ, do & concedo tibi nepoti meo
Alano Britannia Comiti, & heredibus tuis in perpetuum
omnes villas, & terras quæ nuper fuerunt Comitis Edwini
in *Eborashira*, cum feodis Militum, & aliis libertati-
bus, & consuetudinibus, ita libere, & honorifice, sicut
idem Edwini eadem tenuit. Data obsidione coram civi-
tate *Eboraci*.

Incisus rupibus, & montosa collium eminentia
hæc regio fere tota eminet, quorum convexa
sunt alicubi satis herbida, radices, convallisque
non omnino infrugifera. Montes vero ipsi plum-
bo, carbone fossili, nec non ære gravidi. In Ed-
wardi enim *Quarta Charta* mentio habetur de *Mi-
nera* sive fodina *Cupri*, juxta ipsam *Richmondiam*
urbem. Sed avaritia, quæ mortales etiam ad in-
feros agit, in hos montes, nescio an difficiliori
evectione deterrita, minus penetravit.

Æs. plum-
bum, &
carbo
fossilis.

Quod in montium autem summitatibus, ut
etiam alibi, lapides nonnunquam fuerint reper-
ti cochleas marinas, & alia aquatilia referentes,
si non sint naturæ miracula: refusi in omnem ter-
ram sub Noe diluvii certa esse indicia, cum Oro-
sio Christiano historico judicabo. *Refuso* (inquit
ille) *sub Noe in omnem terram mari, immissoque diluvio,*
cum toto orbe connecto, unum spatium cæli esset ac pelagi:
deletum fuisse univsum genus humanum paucis in Arca
fidei sua merito ad substituendam originem reservatis, evi-
dentissime veracissimi scriptores docent. Fuisse tamen et-
iam illi contestati sunt, qui præterita quidem tempora, ip-
sumque auctorem temporum nescientes, tamen ex indicio
& conjectura lapidum, quos in remotis montibus, conchis
& ostris scabros, etiam sæpe cavatos aquis visere solemus,
conjiciendo didicerunt.

Cochleæ
lapideæ.

Qua *Lancastrenses* attingit hæc regio, inter
montes adeo vasta, solitaria, squalentia, & mu-
ta sunt omnia, ut quosdam rivulos hac reptan-
tes, *Hell-becks*, quasi rivulos infernales sive *Stygi-*
os dixerint finitimi, præcipue ille ad fontes *Vri*
fluminis, qui uno saxo pro ponte conjunctus tam
profunde defluit, ut despectantibus horrorem
incutiat. Securaque sunt hoc tractu cubilia ca-
pris, damis, & cervis, qui hic visuntur magnitu-
dine sua, & ramosis cornibus spectatissimi.

Hel-
becks.

Vrus flu. jam sæpe dictus hic ex montibus Oc-
ciduis decidit, primumque vallem *Vventsedale*
gregibus satis repletam plumbique alicubi fera-
cem, mediam stringens, dum adhuc fontis vici-
nia exiguus est, ab Austro fluviolo *Baint* augetur,
qui è stagno *Semar* magno cum murmure evolvi-
tur. Ad ipsos vero confluentes, ubi tuguriola
sunt pauca, quæ à ponte quo primum *Vrus* calca-
tur, *Baintbrig* vocant, olim præsidium fuit Roma-
norum, cujus & reliquæ hodie supersunt. In col-

Went-
sedale.

Brac-
chium.

le enim, quem à Burgo *Burgh* nunc dicunt, radi-
ces antiqui munimenti, quod quinque plus mi-
nus jugera complexum, & sub eo ad Ortum plu-
rima habitationis vestigia extant. Vbi inter alia
multa Romanæ vetustatis argumenta, nuper hoc
fragmentum antiquæ inscriptionis pulcherrimo
charactere, cum *Victoria alata* eandem susten-
tante, vidimus.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIO
PIO PERTINACI AVGV.--
IMP CÆSARI. M. AVRELIO A-
PIO FELICI AVGVSTO----

Getæ no-
men era-
sum.

BRACCHIO CÆMENTICIVM-
VI NERVIVM SVB CVRALA
SENECION AMPLISSIMI--
OPERI L. VISPIVS PRÆ--
-----L E G I O.-----

Hinc conjicere licet, munimentum illud ad
Burgh BRACCHIVM olim fuisse dictum, quod antea
celsipitium fuerat, tunc cæmentitio opere fuisse
constructum, & Cohortem Sextam Nerviorum
ibi in præsidio egisse, qui sua etiam æstiva habuif-
se videantur in edito illo colle vallato proximo,
quem nunc *Ethel-bury* vocant. Nec ita pridem
eruta fuit Aurelii *Commodi* Imp. statua, qui (uti
habet *Lampridius*) ab adulatoribus BRITANNICVS
cognominabatur, cum Britanni Imperatorem
etiam contra eum eligere voluissent. Tunc posi-
ta hæc statua videatur, cum ille immodicus sui
æstimator eo vesaniæ processerit, ut Hercu-
lem Romanum Iovis filium se dici jufferit. Est e-
nim Herculis habitu efformata, & dextra clava
armata, cui suberat, ut accepi, hujusmodi muti-
la, & lacunis interrupta descriptio, quæ male de-
scripta, & priusquam huc accessi, perierat.

Brac-
chium.

Commo-
di Imp.
statua.

-----CÆSARI AVGVSTO
MARCI AVRELII FILIO

SENIONIS AMPLISSIMI
VENTS PIVS.

Extabat hæc in *Nappa* ædibus turratis, & præ-
cipua sede *Medcalforum*, quæ numerosissima to-
tius Angliæ familia his temporibus censetur.
Christophorum etenim *Medcalfe* virum equestris
dignitatis, & familiæ hujus primum, trecentis
equitibus ejusdem familiæ, & cognominis, eo-
dem amictu stipatum, cum Comitatus *Viccom-*
es nuper esset, Iusticiarios *Apsissarum* excepisse,
Eboracumque deduxisse accepimus. Hinc citus
defertur *Vrus*, cammaris fluviatilibus abundans
ex quo *C. Medcalfe* nostra memoria id genus pi-
scium ex Australi Angliæ parte huc detulerit: &
inter duas rupes, unde *Att-scarre* loco nomen,
præceps volvendo devehitur, non longe *Bolton*,
Baronum de *Scrope* antiqua sede, & castro magni-
fico, le *Scrope*.

Nappa.
Medcal-
forum nu-
merosa
familia.

Crey
fishes.

Bolton
castle.
Barones
fico, le Scrope.